Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8138
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Februarius

factum est miraculum. Iudeus quidam cum beatus Siricius
corpus Christi daret christianis, cum aliis accessit, et ut illud
illuderet, proiecto ore maledicto occulte sumpsit. Ipsius
autem Christi quasi ferrum candens eum in ore combussit, et ipse os
suum apertum claudere non potuit, nec corpus Christi eicere
non valuit. Sed quasi insanus dixit et clamavit: Tu a
populo teneris. Iudeus esse noscitur per sanctum Siricium episcopum
corpus Christi de ore eius polluto tollitur. Iudeus dolens
peccatum suum confitetur in Christum firmiter credens baptizatur.
Et per eum multi iudeorum baptismum receperunt.
x e v Apud Alexandriam sancte Apollonie virginis et martiris. Cui
tortores primo omnes dentes excusserunt. Deinde cum minarentur
uiuam se eam incensuros nisi cum eis impia verba
proferret, parum deliberans repente de manibus eorum
prorumpens in ignem quem parauerat mox saltauit et
aliaz deo obtulit sacrificium illibatum.
xi f iiii In monte Cassino sancte Scolastice virginis sororis sancti
Benedicti. que quadam die cum predictus frater ipsius ex more
ad eam venisset extra monasterium suum. et mox redire
vellet, oratione sua cum esset tempus serenum pluuiam inmen-
sam a deo obtinuit, ita ut oporteret eum cum ea in dei
laudibus pernoctare. Post triduum autem die anima eius in columbe
specie ad celum cernente sancto fratre ab angelis est educta.
Cuius congaudens frater eius missis fratribus corpus sororis
allatum in sepulchro quod sibi preparauerat sepeliuit.
xii g iii Sancte Eufrasie virginis, que in monasterio mire absti-
nencie fuit et miraculis claruit. Item sancti Desiderii
lugdunensis episcopi.
xiii A ii Sancte Eulalie virginis que fuit nobilissima et ab infancia
soli deo viuebat. Hec daciano sedente pro tribunali
ultro se obtulit, et arguisse eum de sua crudelitate